

que pecó contra la fé, no es herege. 388 \* Nótese lo IV. que si el penitente molestado de pensamientos contra la fé (lo mismo respectivamente si fuese contra la esperanza y demas virtudes), se aflige por verse así, es señal de que no consintió; por lo qual deberá el Confesor alentarle y consolarle, previniéndole que en sintiendo la tentacion haga un acto de fé, y que no dé oídos á las propuestas del enemigo, sino que piense en otra cosa, con el ánimo de despreciar por este medio sus cavilaciones y argumentos.

## §. XI.

*Prudencia del Confesor con el penitente supersticioso.*

389 \* Quando viene á confesarse alguna persona con pecado de supersticion, como son *sortilegios, hechicerias &c.*, si el penitente tuvo algun error contra la fé, manifestándole exteriormente, se portará el Confesor como diximos arriba del herege. Si no hubiese negado la fé, es caso reservado en los mas Obispados; y teniendo Bula le podrá absolver qualquier Confesor aprobado por el Ordinario. Esto sentado, y suponiendo que quien se llegó á confesar era una hechicera, la qual se acusa de haber hecho

pacto con el demonio, y dádole escritura de entrega de su alma, y de haber maleficiado á muchos: despues de averiguar el prudente Confesor el número y especie de sus pecados, se portará de este modo: 389 \* Debe mandar el Confesor á esta muger que renuncie todo pacto diabólico. II. Que deshaga el hechizo; y si este no se puede quitar sin medios ilícitos, no se le puede mandar que lo haga; pues *non sunt facienda mala, unde eveniant bona*; lo que aprovecha es, que tenga grande fé en la divina proteccion. Lo III. la ha de obligar á que queme los instrumentos del arte; y para deshacer el pacto que hizo con el demonio no es necesario conjurarla, como dicen algunos: el mas eficaz y poderoso conjuro es un corazon contrito y una confesion fructuosa, la señal de la cruz, las reliquias de los Santos y la invocacion del santísimo nombre de Jesus y de Maria Santísima; y lo mas principal la confesion frecuente y comunión quando convenga. Lo IV. la ha de preguntar de los daños ocasionados, proponiéndola la obligacion que tiene de resarcirlos; y finalmente, para que no vuelva segunda vez á ser engañada del demonio, procure fortalecerla con medios espirituales, como es exhortarla á que continuamente haga los actos

tos de fé, esperanza y caridad, que exercite las virtudes, y que haga una detestacion de sus gravísimos pecados, con propósito firme de nunca mas pecar.

391 \* Nótese aquí, que todas las personas, sean del sexó ó condicion que fuesen, si hurtan, transportan, ó retienen las formas consagradas, ó ya tomándolas del Sagrario, ó ya sacándolas de la boca despues de ha-

ber comulgado, cometen un horrendo sacrilegio: y en el tribunal de la Inquisicion, adonde deben ser delatadas, se presumen supersticiosas, y que lo hicieron con mal fin, y para abusar del Sacramento, por lo qual serán castigadas con gravísimas penas, como todo consta de la Bula *Ab Augustissimo*, expedida por N. SS. P. Benedicto XIV. en el año de 1744.

## TRATADO VI.

## DEL CONFESOR SOLICITANTE.

## §. I.

*Qué sea solicitacion.*

392 \* EL execrable crimen de la solicitacion *in confessione* se define así: *Est luxuriosa, sacrilega, scandalosa que incitatio ad venerea, quomodolibet à Confessario gerente Confessarii munus erga pœnitentem, facta.* Ita Redal. Dicese *luxuriosa, sacrilega &c.*, porque el Confesor solicitante comete lo I. pecado contra castidad. II. Sacrilegio real, por la injuria que hace al Sacramento, al puesto, y á su oficio. III. Sacrilegio personal, por la fraccion de su propio voto. IV. Escándalo activo; porque causa ruina

á su próximo. V. Cometerá tantos pecados, quantas fuesen las circunstancias que mudan de especie. Algunos dicen, que si la persona solicitada es hija de confesion, contrae malicia de incesto espiritual; pero otros dicen, que es solo circunstancia agravante.

393 \* Para inteligencia de las demas partículas de la definicion nos pareció poner aquí el texto de las constituciones Pontificias, que para arrancar del campo del Señor tan pestilente zizaña se han expedido en esta materia, explicándolas por todas sus cláusulas en el mismo latino idioma; y dexada la disposicion de Pio IV., la de Gregorio XV. que empieza *Universi Domini gregis*. da

da en 30 de Agosto de 1622, dispone así:

394 \* *Universi Domini gregis curam Sc. Statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes & singuli Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares, cujuscumque dignitatis Sc., qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonestam, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, sive ante vel post immediatè, sive occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa sacramentali confessione non secuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiuntur, sive ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquisitionis severissimè, ut infra, puniantur Sc. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse, ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes Sc. Hactenus Bulla Gregoriana.*

395 \* *Hanc Gregorii dispositionem ampliùs adhuc declaravit, & extendit SS. D. N. Benedictus XIV. per suam Bullam Sacramentum Pœnitentiæ, 1. Junii 1741. ubi inter alia, de quibus infra, sic opportunè disponit:*

*Meminerint præterea omnes, &*

*singuli Sacerdotes, ad confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari, suos pœnitentes quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere juxta occurrence casuum circumstantias de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis prædictis, personam, quæ sollicitationem commiserit, etiam si Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem, validè impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluerit, aut sollicitatio à Confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducunt, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.*

### §. II.

*Recensitæ Constitutiones explicantur.*

\* **Q**uamvis autem hujusmodi Decreta clarissima sint, nihilominus, ut faciliùs percipiantur, oportet ut

per singulas illorum clausulas discurrentes, brevem explicationem adjiciamus.

396 §. I. *Omnes, & singuli Sacerdotes Sc. Per hanc clausulam comprehenduntur in præsentem Decreto omnes, & singuli Sacerdotes, sive Seculares, sive cujusvis Ordinis Regulares, qui munus Confessarii gerentes sollicitaverint ad turpia; etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem impertiendam careat, ut declaravit Benedict. XIV. in cit. Bulla Sacramentum Pœnitentiæ: unde denunciandus est Sacerdos simplex, qui Confessarium se fingit, & sollicitat. Non tamen est denunciandus I. Sacerdos etiamsi Confessarius aliundè sit, quando mulierem v. gr. sollicitat occasione confessionis istius cum altero Confessario; ut si sciens ipsam cum altero peccatum carnis fuisse confessam, ad eam accedit, & sollicitat; quia tunc respectu illius pœnitentis munus Confessarii non gessit: & quod sollicitans sit Confessarius, vel Sacerdos, tantummodo de materiali se habet. Potest (a), ubi pariter cum Diana discurrit de eo, qui signis, vel tactibus mulierem provocat, dum alteri confitetur.*

397 \* *Non est denunciandus II. In vi præsentium Constitutionum Clericus non Sacerdos:*

imò nec laicum Confessarium se fingentes, quia isti revera non sunt Sacerdotes, contra quos unicè dispositiones procedunt. Dixi, in vi præsentium Constitutionum; quia omnes non Sacerdotes Missam celebrantes, vel sacramentales confessiones audientes, sunt utique denunciandi, præsertim si hostiam elevaverint, & absolutionem dederint, per Constitutiones plurimorum Romanorum Pontificum, quas confirmat, ampliat, & declarat Benedictus XIV. per suam Bullam Sacerdos in æternum, 20 Aprilis 1744. Tales enim sunt in fide suspecti.

398 \* §. II. *Qui personas quæcumque illæ sint. Per hanc clausulam denunciandus est Confessarius, vel Sacerdos sollicitans personas cujuscumque conditionis, & qualitatis existant, sive fœminæ fuerint, sive viri, sive puellæ, sive pueri, sive rationis compotes, sive rationis expertes. Unde denunciandus est Confessarius tractans inhonestè puellas, vel pueros, etiam sexennio minores, dum ipsos ad confessionem de more alliciunt.*

399 \* §. III. *Ad inhonestam sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda. In hac clausula exponit sollicitationis materiam, quæ utique est omnis pro-*

vo-

vocatio, & allocutio ad venerem, quocumque modo fiat, *sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut nunc, aut post legendam*, ut loquitur ipsemet Benedictus in citata Bulla Sacramentum Pœnitentiæ. Hinc solicitantes ad alia peccata non venerea, puta *furtum, homicidium &c.* non sunt denunciandi vigore præsentium Constitut. quia non provocant ad inhonestam. Dixi *vigore præsentium Constitut.* quia utrum sint denunciandi Inquisitoribus tanquam aliunde in fide suspecti, variant DD. Affirmant alii, negant alii, ut refert SS. D. N. Benedictus XIV. (de Synodo Diocœsana, lib. 6. cap. 11.) ubi n. 14. dicit Doctores communiter sententiæ negativæ suffragari, quia in pœnibus non fit extensio de casu ad casum.

400 \* Utrum autem denuntiatio fieri debeat, quando sollicitatio fit per signa tantummodo venialiter inhonestam? Negat Castro Palao; si pœnitens cognoscat Confessarium non habere animum ulterius progrediendi, nec videat in seipso periculum in grave peccatum consentiendi: quia dictæ Constitutiones peccatum mortale puniunt, & non præcisè veniale. Affirmat probabilius Potesta (a), quia licet tales hujusmodi fortassis

forent ex se leves, in circumstantia tamen temporis ministrandi Sacramentum, sunt horrendi & mortales, ac subinde pariunt onus denunciandi.

401 \* §. IV. In actu sacramentalis confessionis, *sive antè, vel post immediatè.* Per prima verba hujus clausulæ non est denunciandus Confessarius sollicitans in aliis Sacramentis, nempe in administratione Baptismi, Matrimonii &c. quia nulla de hoc fit mentio in Bulla Gregoriana; attamen secundum aliquos denunciandus est, ut corrigatur, ut abuser Sacramentorum, quod intelligo, si sit suspectus de hæresi. Per reliqua verba, *sive antè, vel post immediatè*, intelligitur quando sollicitatio est proxima confessioni; num Confessarius sollicitet, quando pœnitens primò petit confessionem, vel quando ante illum genuflectitur cum fine confitendi, quod est *immediatè antè*. Num post auditam confessionem illum Confessarius sollicitet sine mediatione alicujus negotii, quamvis pœnitens non sit in loco confessionis, quod dicitur *immediatè post*.

402 \* Notandum tamen, quod, ut verificetur *ly immediatè antè*, non est opus quod confessio re ipsa post sollicitationem sequatur, dummodo pœnitens, animo nunc

con-

confitendi, ad Confessarium accesserit; quia in Bulla Gregoriana ponitur hæc clausula: *Etiã ipsa sacramentali confessione non secuta.* Dixi *animo tunc confitendi*, quia si accedat hodie, petiturus confessionem, cras faciendam, non est denunciandus per hanc clausulam, sed per aliam, nempe *occasione confessionis.* Ita Potest. (num. 608.) contra Leandrum, Castro Palaum, & alios absolutè tenentes, denuntiationem in hoc casu non deberi fieri, quia sollicitatio licet sit proxima confessioni, non est proxima confessioni. At fundamentum Potesta semper urget, ut proinde ejus sententia omninò præferri debeat.

403 \* §. V. Occasione vel prætextu confessionis, *etiam ipsa sacramentali confessione non secuta.* Per hanc clausulam intelligitur, sollicitatio quæ fit ex motivo confessionis veræ, vel fictæ. Si confessio est vera, motivum sollicitationis desumitur *occasione confessionis*; si fuit ficta, vel simulata, motivum sollicitationis accipitur *ex prætextu confessionis*, & quomodocumque sit, denunciandus est Confessarius sollicitans, *etiam ipsa sacramentali confessione non secuta.*

404 \* Hinc denunciandus est I. Confessarius, qui vocatus hodie ad audiendam confessionem pœnitentis, accedit ad ejus domum die sequenti, & confessio-

ne postposita, ipsum sollicitavit quia revera sollicitavit occasione confessionis. Denuntiandus est II. Qui amore mulieris captus, ipsemet ad confessionem invitat, & actum confessionis præveniens, cum ipsa inhonesta tractat. Denuntiandus est III. Qui conventionem facta cum muliere, accedit ad ipsam se ægotam ex compacto fingentem, tanquam illius confessionem auditurus, ut sic locus peccato pateat, quod tandem commisit, familiares eludendo. Denuntiandus est IV. Etiam si non ex compacto, sed colore confessionis, & ut provocaret à muliere vocatus cum ipsa inhonesta tractavit. Quia in his casibus prætextu confessionis sollicitat, & in tertio adest confessionis simulatio.

405 \* Non tamen est denunciandus Confessarius, qui post auditam mulieris confessionem accedit ad ejus domum, ibique eam sollicitat, nisi talia concurrant signa ut prudenter præsumi possit, ipsum fuisse motum ex notitia in confessione habita. Quando enim hæc signa desunt, præsumi debet, ipsum fuisse motum ex alia causa. Signa autem ad prudentur judicandum, Confessarium ex notitia confessionis moveri, sunt sequentia. I. Si brevi post confessionem tempore Confessarius adeat pœnitentem, qui in confessione ipsa peccata carnalia, aut suam in luxuriam propen-

(a) Tom. I. num. 288.

pensionem manifestavit. II. Si nulla inter utrumque prius præcesserit familiaritas. Imò mutuo essent sibi ignoti, & occasione confessionis hujusmodi ineatur amicitiae foedus. III. Et præcipue si sollicitatio præsens jam fuerit in confessione præcedenti, aut immediatè ante, vel post inchoata, ut si nimiram dixerit, *expecta me in domo tua*. IV. Et urgentius, si ipsemet hanc suam motionem manifestaverit, ut si poenitenti reluctanti dicat *si cum aliis es facilis* &c. quo casu etiam foret sigilli fractor. Hæc indicia ex concurrentibus circumstantiis, potius quam ex temporis brevitate sunt attendenda. Ubi tamen illa adsunt, licet non adeo evidentia, standum est denuntiationi. Non enim lex ista mere pœnalis est, sed mixta, utpote quæ spectat ad gregis Christi conservationem.

406 \* §. VI. *Sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco* &c. Hæc verba denotant, denuntiandum esse Confessarium sollicitantem non solum in confessionario formato, sed in quocumque alio loco, dummodo electus sit ad audiendam, vel simulandam confessionem, sive in Ecclesia, sive in domo, sive in agro &c. dum ibi simulatio fiat confessionis; & tunc simulatur confessio, quando poenitens, flexis

genibus, ponitur ante Confessarium, ita taliter, ut iste actus ab adstantibus credatur confessio.

407 \* Utrum autem particulæ illæ; *Simulantes ibidem confessiones audire*, sint limitativæ totius clausulæ, ita ut etiam quando sollicitatio fit in confessionario formato, & ad audiendas confessiones unice instituto, requiratur confessionis simulatio, ut sit casus sub hac clausula comprehensus? Duplex est sententia. Affirmat Palao cum pluribus, negat Potesta cum aliis, qui ait sollicitationem factam in confessionali, etiam citra occasionem, & simulationem confessionis, esse denuntiationis casum, tum propter hanc clausulam, tum propter Decretum Pauli V. 10. Julii 1614. Utraque sententia est probabilis, adhuc post Paulinum Decretum, imò prima à pluribus asseritur probabilior. Illam nihilominus partem quisque eligat, quam ipse, omnibus pensatis, probabilioris judicet. Sed bene advertat cum P. Nuño (a), quod praxis Inquisitionis Hispaniæ est pro secunda sententia. Unde qui secundum primam procedat, *non est in foro saltem exteriori ab omni prorsus periculo immunis.*

408 \* §. VII. *Solicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, seu*

*tractatus habuerint.* Provocare ad libidinem, est ad ipsam aliquam personam inducere. Inhonestum tractare, est actus libidinosos, & de se provocativos ad venerem exercere, etiam præcisivè à tali intentione. Utrumque comprehenditur in hac clausula, *quocumque modo fiat*, ut patet ex supra dictis.

409 \* Non tamen est denuntiandus Confessarius I. Si poenitentem, obscœna confitentem interroget verbis decentibus omnia illa, quæ necessaria sunt, ut numerum, & species peccatorum percipiat, & emergentes casus resolvat: quia tales interrogationes, licet sint in materia inhonestæ, non sunt inhonestæ, sed decentes, & necessariæ, ut supponitur. Cautè tamen, & magna cum circumspectione in illis procedendum est. Non est denuntiandus II. Qui poenitentem vocat *filium*, vel *filiam*; quia istæ voces non sunt excitativæ amoris lascivi, sed confidentiæ paternæ; ab illis tamen cum mulieribus omninò abstinendum est: *quia latet anguis sub herba.* Non est denuntiandus III. Quando verba & actiones Confessarii sunt indifferentes, nisi circumstantiæ tales sint, quod moraliter constet, esse hic, & nunc dicta à Confessario in malum finem: quia quilibet præsumitur bonus, nisi constet esse malum.

410 \* Utrum autem, quan-

do verba, vel signa sunt dubia, denuntiandus sit Confessarius? Affirmat Diana, quia de hoc judicare ad Inquisitores pertinet. Negat Bordonus, quia dictæ Constitutiones non puniunt sollicitationem dubiam, sed certam. Hæc secunda sententia præferenda videtur, ubi Confessarius fuerit notæ probitatis vir. *Etiam si Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & poenitentem mutua fuerit* &c. Per hanc Benedicti ampliativam clausulam comprehenduntur quinque casus, de quibus licet olim aliqui dubitaverint, imò, & sustinerint non esse obligationem denuntiandi; jam dictæ opiniones caveri debent, tamquam practicè improbabilis: & delatio fieri debet ut in clausula præscribitur.

411 \* Notandum tamen, quod si mulier provocavit, vel sollicitationi consensit, non tenetur in delatione suam provocationem, nec consensum exprimere. Notandum etiam, quod post longum tempus debet denuntiatio fieri, etiam si prudenter credatur, jam Confessarium sollicitantem emendatum esse: quia denuntiatio non solum est præscripta ad correctionem, & emendationem delinquentis, sed etiam ad punitionem, & publicum exemplum. Notandum denique, quod ad denuntiationem in hac

ma-

(a) De Confess. sollicit. part. 2. num. 392. & in quæst. præmiak.

materia sollicitationis non debet præmitti correctio fraterna, sicut nec in aliis ad Officium Inquisitionis pertinentibus, ut constat ex Decreto Alexandri VII. 8. Junii 1660.

412 \* §. IX. *Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes &c.* Per hæc verba satis declaratur, Confessarios teneri admonere suos pœnitentes sollicitatos ut ante absolutionem denuntient Confessarium sollicitantem Officio Sanctæ Inquisitionis; & si secus fecerint, aut doceant non teneri, peccant mortaliter, ut patet per illam particulam *mandantes &c.*, quia hoc præceptum est in materia gravi respiciente salutem animarum, ac majorem reverentiam Sacramenti Pœnitentiæ: & insuper incurrunt pœnam excommunicationis majoris ipso facto. Et si pœnitens sollicitatus renuerit, vel se excusaverit ab obligatione denunciandi Confessarium sollicitantem intra sex dies, præterquam non debet absolvi, incurrit etiam in ipsam excommunicationem majorem.

413 \* Sed nota, quod si omissio pœnitentis sollicitati fuit inculpabilis, vel quia ignorabat teneri ad denunciandum, vel quia habuit impedimentum excusans, vel si de dimittendo illum sine absolutione oriatur scandalum

grave, cautione ab ipso præstita, quod intra spatium sex dierum denuntiabit Confessarium sollicitantem, tunc poterit a Confessario absolvi; quia in his, & similibus casibus ita præsumi debet de voluntate Dominorum Inquisitorum. Si verò omissio fuit culpabilis, nec pro prima vice est absolvendus, nisi prius denuntiet, quia in re tam gravi non est facile adhibenda fides promittenti denuntiare, quando omisit denuntiationem.

414 \* Nota tamen, quod excommunicatio, quam incurrit pœnitens, denuntiationem omitens, est Tribunali Inquisitionis reservata. Unde ab illa non potest absolvi, nisi prius obtenta ab ipso facultate, vel virtute alicujus privilegii, & tunc prius satisfacta parte, id est facta deo denuntiatione.

415 \* Nota etiam, quod onus denunciandi in pœnitente non cessat per hoc, quod confiteatur cum ipso Confessario sollicitante, ut constat ex proposit. 7. damnata per Alexand. VII. quæ his concipitur verbis: *Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest absolvere absque onere denunciandi.* Licet enim Confessarius ipse non teneatur pœnitentem de obligatione seipsum denunciandi monere, quia saltem in hoc casu non tenetur se ipsum prodere; non tamen per hoc pœnitens ab obli-

obligatione denunciandi liberabitur, nec Confessarius ipse potest totâ conscientia illum dissuadere a denuntiatione faciendâ, quamvis possit pœnitentem de tali obligatione non monere, & interrogatus dissimulare, dicendo: Illud ab ipso quæri non debere. Unde prudenter aget, si confessionem pœnitentis a se sollicitati audire recuset; & multo prudentius, si ipsemet delationem præveniat, & coram Inquisitoribus spontè compareat. Addit etiam Benedictus XIV. (a) nullam hactenus legem, nullamque decretum adesse, quod interdictum sit, ne quis Confessarium a se denunciandum, antea commonefaciat, dummodo ille, qui reum quidem admonet, non idcirco ab eodem denunciando se absteineat.

417 \* Dixi quod Confessarius non tenetur monere pœnitentem de obligatione se ipsum denunciandi; quia si deprehenderit ipsum fore ab altero Confessario sollicitatum, vel hujusmodi sollicitationis consocium, utique aperire debet obligationem denunciandi. Illud tamen præ oculis habeat, quod non ex abrupto, & præcipitanter resolvat, sed magna cum reflexione, & si opus sit, consultatione; quia est materia gravissima. Nota denique, quod Confessarius ipse sollicitans postea à peccato sollicita-

tionis per quemlibet Confessarium absolvi, nisi fortè fuerit reservatum, ut solet in aliquibus Diocesisibus. Quando autem pœnitens excusetur ab obligatione denunciandi ratione secreti, vel damni quod ex denuntiatione ipsa timet, dicemus infra parte VIII. ubi de denuntiationibus in communi.

417 \* Ut facilius se Confessarius expediat à difficultatibus, quas pro denuntiatione faciendâ objicere solent aliquæ foeminae, præsertim Moniales, & hujusmodi, adnotabit etiam in praxi esse apud Sacrum Fidei Tribunal, ut Confessario ipsi delegetur facultas ad delationem sui pœnitentis juridicè recipiendam: quod in casu renitentiae expressè permittitur Decreto Inquisit. Rom. jussu Urban. VIII. (apud Ferraris verb. *Sollicitatio ad turp. num. 10.*) Hinc licet ut plurimum non expediat Confessarium talibus immisce-ri, tamen ubi aliter delatio non fiet, charitas eum urgebit, ut pœnitenti suadeat delationem fieri per pœnitentis epistolam, qua simul rogetur facultas ipsi Confessario concedatur; vel si epistolæ non sit locus, extra confessionem dicat, ut ipse Confessarius ad notitiam Sacri Tribunalis perferat.

§. III.  
De Synodo, lib. 6. cap. 11. n. 10.  
Tomo I.

## §. III.

*Expediuntur aliqui casus.*

418 \* **E**x dictis constat, capita denuntiationis per se singulatim sufficientia ad ipsius onus inducendum esse septem. I. Est actus confessionis. II. Immediatè antè. III. Immediatè post. IV. Occasio confessionis. V. Prætextus confessionis. VI. In sententia probabili solum confessionarium. VII. Simulatio confessionis, ut patet ex præcedentibus clausulis, ex quarum explicatione innumeri casus possunt resolvi. Nihilominus ad majorem doctrinæ abundantiam.

419 \* **QUÆRES I.** *An Confessarius tradens pœnitenti in aliqua ex septem dictis occasionibus chartam sollicitationis postèa legendam, sit denuntiandus, æquè ac si ipsam tradidisset in actu confessionis?* Resp. affirmativè. Quia licèt propositio 6. per Alex. VII. damnata, solum loquatùr de actu confessionis, eadem ratio militat in aliis sex casibus, quia traditio illa epistolæ semper erit sollicitatio inchoata cum respectu ad confessionem. Unde, sicut esset utique sollicitator denuntiandus, qui sollicitaret verbis, vel signis, ita pariter qui per chartam, præsertim cum hic sit unus ex modis sollicitandi in Benedictina Constitutione expressis.

420 \* **QUÆRES II.** *Confessarius dixit puellæ verba sollicitationis, quæ ipsa præ simplicitate non intellexit, est ne denuntiandus?* Resp. affirmativè. Quando nimirum puella cognovit in verbis dictis sollicitationem contineri: & hoc, etiam si longum tempus intercesserit, ut colligitur ex Benedict. Const. Excipe, nisi Confessarius jam mortuus fuerit, quia tunc cessat finis legis.

421 \* **QUÆRES III.** *Confessarius, & mulier, ut liberius peccarent, ex conditione simularunt confessionem, tenebitur mulier Confessarium denuntiare?* Resp. affirmativè, ut constat ex Const. Benedictina: *Sive sollicitatio mutua fuerit, sive pœnitens consenserit* &c. Mulier tamen non tenetur suum proprium peccatum aperire, nec in actis ponetur, etiamsi incautè manifestaverit.

422 \* **QUÆRES IV.** *Confessarius, dum audiebat confessionem unius mulieris, ea non advertente, fecit signa inhonesta alteri ante conspectum existenti, est denuntiandus?* Resp. quod si mulier altera erat ante confessionarium expectans confessionem, est denuntiandus, quia sollicitat occasione confessionis. Si verò existeret alio fine, tunc probabiliter est denuntiandus, si Confessarius erat in confessionario formato, illo nimirum quod ex utroque latere, vel ex altero habet fenestrellam, quia sollicitat in confessionario. Non est

est tamen denuntiandus si erat in hoc sit adeo insolitum, & taliter alio loco: quia tunc nulla verificatur clausula ex supradictis. Unde tum solum esset denuntiandus, si mulier quæ tunc confitebatur, signa inhonesta percepisset; propter illam clausulam: *Sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda*

325 \* **QUÆRES VII.** *In quas pœnas incidat Confessarius sollicitationis reus?* Resp. quod ultra onus denuntiationis passivæ quod incurrit præter alias pœnas, incurrit etiam perpetuam inhabilitationem ad sacrificii Missæ celebrationem, in quam etiam incurrit Sacerdos ille, qui præfatus Missæ sacrificio abutitur ad sortilegia; ut totum constat ex Decreto Benedicti XIV. §. Aug. 1744. apud Ferraris (a), de quo Decreto, sicut de aliis ad Sanctum Officium spectantibus, debent Prælati Regulares suos subditos monere in suis capitulis, & insuper Feria 6. post Octavam Assumptionis B. M. V.; sed benè notandum has hujus Decreti novæ pœnas tametsi purè privativas, quæ regulariter absque alia declaratione incurruntur; quia tamen ejus indolis sunt, ut non sine magna difficultate exequi possint, inter ferendas, & ulteriorem requirentes declarationem jure merito reputari. Ita Ligorio (lib. 6. nùm. 705.) ubi ait se à Theologis Romanis monitum, contrariam quam prius docuerat, mutasse sententiam, & simul insinuat, quòd recurrendum pro hujusmodi inhabilitatis dispensatione.

423 \* **QUÆRES V.** *Mulier ad peccatum suum confitendum usa fuit interprete, qui ex ipsa confessione motus, in actu ipso confessionis, vel post, sollicitavit, est denuntiandus?* Respond. negativè in vi præsentium Constitutionum: quia interpret magis se habet à parte pœnitentis, quam Confessarii.

424 \* **QUÆRES VII.** *Confessarius, dum audivit confessionem mulieris, antè, vel post immediatè &c. interrogavit ipsam de loco suæ habitationis, est denuntiandus?* Resp. quod expectari debet eventus. Si Confessarius postèa accedat ad mulieris domum, & sollicitet, utique denuntiandus est: quia exitus acta probant, & sollicitatio illa fuit in confessione inchoata. Si non accessit, vel accedens, non sollicitavit, non est denuntiandus: quia verba illa sunt indifferentia, & possunt in bonum sensum applicari. Idem dicendum de Confessario largiente mulieri aliquod donum, nisi

QUÆ.

(a) In Supplem. verb. Confessarius.

